

Johann Strauch


**Johannes Strauchius, Doctor, Antecessor, & hoc tempore Collegii Iuridici  
Decanus : [P. P. Ienae, die XIII. Decembr. Anno Chr. M.DC.LXIIIX.]**

Ienae, 1678

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn810694697>


Druck Freier  Zugang





N. K. — 2 (42.)





*ist*

**JOHANNES STRAUCHIUS,**  
**DOCTOR,**  
**Antecessor, & hoc tempore Collegii**  
**Juridici DECANUS.**

---

**JENÆ**  
**Typis JOHANNIS NISL**

*De pignore in re aliena. Jenæ. 1668.*



**S**olennem recitationem super eo ju-  
re, quod est circa rem alienam pignori da-  
tam auctoritate nobilissimi Jctorum Ordi-  
nis, cum instituturus sit Candidatus quidam  
juris, oppidò dignissimus, cujus nomen pariter  
& merita infra recensimus, visum fuit  
ei recitationi paulisper more majorum præludere, ut studio-  
forum, si possumus, eò magis animos incendamus ad cele-  
brandam Candidati nostri acroasin. Jamdudum autem, ut  
hinc exordiar, dubitatum fuit, num quid res aliena opponi  
pignori possit. Cui quæstioni magnum præjudicium fe-  
cerunt duo Galliaë lumina, Cujacius *ad Nov. 61.* & P. Faber  
*2. semest. 18.* Præceptor cum discipulo. Qui tentarunt affir-  
mare, pignus alienæ rei consistere. Ejusque suæ sententiæ  
argumenta hæc duo statuerunt potissimum, cum quod res  
vendi aliena potest, tum quod res aliena pignori data pigno-  
ratitiam actionem parit. Et prior quidem ratio ex compa-  
ratione parium progressa auctorem habet summum Jctum  
Gajum *libro 9. ad edictum provinciale*, ut est in *l. 9. ff. de pi-  
gnor. & hypotb.* ubi quod emtionem recipit, idem & pigno-  
rationem recipere traditur. Et quia contrariorum eadem  
est ratio, ideò & huc pertinere, quod Marcianus affirmet  
*l. 1. §. eam rem ff. quæ res pig. vel hypotb.* Eam rem quam quis  
emere non potest, quia commercium ejus non est, jure pi-  
gnoris accipi non posse. Sed rem alienam vendi licere,  
ne dubium quidem habet, nisi fidem derogare Ulpiano velis  
*l. 41. ad Sabinum*, cujus verba repræsentat *l. 18. ff. de contr.  
em.* nec operæ pretium est ut plura *ἑξ ἄλλῃα* in re manife-  
sta congeramus. Sufficit enim in emtione venditione em-  
torem venditori de evictione teneri, eundemque emto-  
rem possessionem tradere & purgari dolo : Unde sequitur,  
ut

ut si evicta res non sit, nihil debeat emtor, & tamdiu constat emtio, quamdiu res non evincitur, etsi aliena est. In quâ tradendâ venditorem Neratius ait emtori præstare debere, ut in lite de possessione potior sit: Alioqui si videlicet possessionem jure quis avocaverit, traditam possessionem à venditore, qui de hac re tenetur, non intelligi Pomponius in l. 3. pr. ff. de act. emt. scribit: Uti ergò rem alienam vendere, ita oppignerare licebit, tantoque magis, quod alterum Fabri argumentum est, quod actio pignoratitia ex obligatione rei alienæ nascatur, ut tradit Paulus in l. tutor. §. 1. & Marcianus in l. 32. ff. de pign. act. Hæc quidem pro affirmativâ. At verò contraria sententia frequentiori Doctorum numero, jurisque ratione munita est: sic enim Ulpianus lib. 28. ad edictum in l. 9. pr. ff. de pign. act. docet contrarium pignoratitium judicium creditori dari, quamprimum probare possit rem alienam sibi pignori fuisse datam, ad hunc finem ut res alia sibi detur, ut maximè solvendo sit debitor secundum Marcianum in l. 32. de pign. act. Alia itaque ratio est emtionis venditionis, & pignoris alia: Emtori enim, licet res aliena vendita evincatur, satis de evictione cautum est. Nam & hoc casu emtor ad pretium recuperandum utiliter experitur l. si fundum. C. de Evict. & in id quod interest ex emto habet actionem. l. ult. C. de comm. rer. al. At pro re aliena persequenda, hypothecaria est inutilis, ita ut si experiatur creditor eâ contra possessorem tertium, exceptione repellatur, nî rem in bonis debitoris fuisse probaverit, ut Zosimo cuidam respondent Impp. in l. 6. C. si aliena res pig. data sit. Alterum verò, quod nempe ex re aliena competat creditori pignoratitia contraria, ita removetur, quod actio isthæc contraria ex quadam æquitate detur, ad sumtus in eam rem factos repetendos, neque novum esse,

ut



ut quamvis contractus nullus sit, nihilominus actio contractus detur non ut contractus confirmandus veniat, sed ad præstandum quod interest, Et ita respondet Giphanius *ad l. 1. § 5. C. si alien. res pign.* Sed nondum omnem dubitationem superasse videtur, qui hac responsione defungitur. Neque enim ob rem alienam pignori datam tantum contraria pignoratitia creditori: Sed & ipsi debitori directa nascitur. Quid enim? Annon prædo rem alienam, quam surripuerat, postquam solvit creditori, iudicio directo repetit? Sanè quidem: Nam ita tradit Ulpianus in *l. si pignore 22. §. si prædo. 2. ff. de pig. act.* non tantum rem ipsam alienam, sed & fructus rei istius repetere. Neque quidquam ob stare, quod prædo fructus suos non faciat, cum exstantes vindicari, consumiti verò condici queant. Nam prædoni prodesse bonam fidem creditoris, ideoque dari ei etiam de fructibus pignoratitiam. Itaque non solum contrarium iudicium, sed & directa datur actio, ad repetendam rem alienam pignori datam. Tantò magis ergo videtur inde effici, quod rei alienæ pignus consistat. Sed respondemus, hætenus duntaxat consistere pignus rei alienæ, ut si creditor suum à debitore receperit, dominii quæstionem debitori non possit referre, cum sua nihil intersit. Alioquin futurum esset, ut creditor si pignoratitiâ conveniri non posset, rem pignoris nomine sine causa & contra æquitatis rationem retineret. Quâ ratione creditor ipse personam prædonis, & quod tantò pejus, ex causa contractus bonæ fidei suscepturus esset, cui debitor quantumvis prædo ex sua parte omninò satisfacisset, certè melioris conditionis esset creditor, qui alienam, quam qui debitoris rem accepisset. Et hætenus quidem quæ disputavimus de rei alienæ pignore, sic satis constare videntur. Paulò gravius aliquid superest, in Ulpiani responso, dum scilicet præ-

prædonem & fructus rei alienæ à creditore repetere posse largitur. Quæ res duo summa ingenia exercuit, Cujacium atque Antonium Fabrum: Ille quidem *lib. 2. qq. Papin. in l. s. urbanas. ff. de Condit. ind.* putat in hoc casu prædonem fructus facere suos, quia profit ei quod creditor bonæ fidei possessor fuerit. Quod enim prædo si perciperet suum facere non posset, id suum facere perceptione & bona fidei creditoris. Neque enim sine exemplo esse, ut quod ex suâ persona habere quis nequeat, ex alterius habeat, ut *in l. Aristo. 3. in fine ff. Quæ res pig. dari l. filius 42. ff. de bon. lib. l. idem Neratius 3. §. non solum 2. ff. de usufr. accr. l. 1. ff. de auct. tut. l. cum hereditate 55. ff. de adq. her. l. si is qui 29. de lib. leg.* At verò A. Faber *lib. 7. conject. c. 19.* statuit, quod prædo fructus nullâ ratione lucrari possit. Nam si existent eo tempore, quo res à Domino vindicatur, venient & fructus in causam vindicationis, sin erunt consumti, condicentur. *l. certum 12. C. de R. V.* Cur ergò ei permittatur à creditore fructus repetere, quos ipse retinere nequit, sed præstare alteri teneretur? Annon dolo dicitur facere, qui petit quod redditurus est *l. 8. ff. de dol. except.* Qua ratione igitur defendemus Ulpianum, dum dicit prodesse prædoni debitori, quod creditor bonâ fidei possessor fuit. Et numquid creditor bonæ fidei possessor haberi potest ratione fructuum, quos ex pignore percepit, præsertim soluto jam debito? Annon scit ille se pro alieno possidere, & propterea usucapere non posse *l. pignori 15. ff. de usucap.* Unde ergò ei bona fides? Quæ Fabri rationes profectò tanti videntur, ut Cujacii partes tueri fructusque prædonis debitoris fieri affirmare vereamur. Quid itaque dicemus? Nimirum Ulpianus bonam fidem in creditore non desiderat, ut debitor prædo fructus facere possit suos, ut vult Cujacius: Sed ne impediatur, quo minus exerceat

erceat adversus creditorem actionem pignoratitiam. Ergo-  
ne creditor rem alienam pignori accipiens malâ fide, pigno-  
ratitia directâ non tenetur? Sanè quidem tenetur, sed  
competit ei exceptio doli adversus petentem debitorem, qui  
petit id quod mox restitutus est alii. Quâ exceptione uti  
non potest creditor, qui ignorat rem esse alienam: Con-  
cludamus itaque rei alienæ pignus non consistere. Ita ta-  
men ut convalescat pignus, si postquam pignori datum fuit,  
in bonis debitoris esse incipiat. Ita enim respondent Dio-  
cletianus & Maximianus *in l. 5. C. si aliena res pign.* Quam le-  
gem solenni panegyri explicaturus est Candidatus noster Dn.  
CHRISTOPHORUS ZILLINGIUS, Sangerhusâ Thuringus:  
Cujus vitam, mores, ac studia, more recepto, paucis expo-  
nemus. Natalem is habet quintum Januarii diem anno Do-  
mini 1644. patriam Sangerhusam, Patrem Dn. STEPHA-  
NUM ZILLINGIUM, Consulem patriæ primarium, famili-  
am ad ducentos ferè annos consularem, Matrem honestissi-  
mam Margaritam Schmidiam. Quæ singula ad splendorem  
& ornamentum Candidati nostri sufficerent, si in Rhetorum  
areolas exspatiari animus nobis esset. Et possemus præter  
Euripidem, cui

Δεινὸς χαράκιος, καὶ πῶσιμος ἐν βροτῶσι  
καλῶν ἡρώδαι

videtur, cum Antonio apud Dionem lib. 45. differere, quod  
quamvis obscuro loco aut ortu nati possunt quidem eniti, ut  
viri boni sint, attamen eorundem ignobilitatem etiam inna-  
ta quædam vitia aliquando arguere solere. Quibus verò se-  
mina virtutis à majoribus per multum tempus ducta adsunt,  
fieri non posse quin & ingenitâ & perpetuâ virtute sint prædi-  
ti. Quam magis magisque in his


Et Pater Æneas & avunculus excitat Hector.

Sed

Sed aliud jam nobis propositum est, quam ut encomium con-  
texamus. Missus porrò est ad ingenii cultum capeffendum  
ineunte statim adolescentiâ in illustre gymnasium Portense,  
anno seculi quinquagesimo septimo. Quæ Schola è re no-  
men Portæ tulisse videtur. Est enim revera ad solidam eru-  
ditionem patentissimus per eam ingressus, eruditorumque  
jam per eandem ad summa fastigia regressus. Rediens inde  
huc Jenam ad nos, vixit in contubernio Dn. Philippi Mülleri,  
Oratoriæ hoc temp. & Poës. P.P. & Philosoph. collegii in hac  
Salanâ Decani. Quanti autem id sit, commodum accepisse  
~~omnes~~ experiuntur, quantumvis serò, qui hoc bono in A-  
cademiis sibi ipsis relictis exciderunt. De Augusto refert Ju-  
lianus in Cæsaribus Atejum Philosophum convictorem fuis-  
se nactum, quem maximi semper fecit & unicè amavit. Ipse  
Julianus Maximo usus est: Ita Marcus Antonius Junio Rusti-  
co. Et si credimus Senecæ C. Gracchus & mox Livius Dru-  
sus instituerunt segregare turbam, & alios in secretum reci-  
pere, alios cum pluribus, alios cum universis. Ut redeamus  
ad Nostrum, cum non exiguo tempore, hoc monitore & Do-  
ctore in studio Philosophiæ versatus esset, illoque Præside de  
mutatione rerum publicarum publicè respondisset, inde ani-  
mum ad studium Juris applicuit, sectatus Virum Consultissi-  
mum Dn. D. Adrianum Beyerum, cui multum se debere  
plurimi Juris Studiosi profitentur, & testantur programmata,  
quæ Candidatorum Juris gratiâ publicè subinde affiguntur.  
Exercitatus inde fuit privatâ Dn. D. Bechmanni, nec non Dn.  
D. Falcneri, Jctorum & P. P. in hac Salanâ celeberrimorum  
industriâ. Ubi vires satis suas periclitatus prodiit in publi-  
cum auspiciis Dn. Christophori Philippi Richteri, Jcti & Or-  
dinarii, Viri famâ nobilissimi, & magnifici, deque adverbio-  
rum significatione publicè disputavit. Defendit etiam Præ-  
sides


411  
Ede Dn. Struvio, Jcto consummatissimo, Jam rerum priva-  
tarum Principis Saxo-Vinariensis comiti illustri ex Syntag-  
mate ejus feudali disputationem primam. Inde foro se pa-  
raturus elegit sibi ducem Dn. Christophorum Schriumpsum,  
Curia Provincialis Protonotarium dexterrimum, virum pra-  
xeos Juridicae expertissimum ac solertissimum, cujus tam ho-  
spitio, quam manu ductione ad praxin ex animi sententia u-  
sus est. Abiit inde in Academiam Lipsensem, telamque  
hic praclare coeptam feliciter ibi pertexuit, hospite pariter  
& auspice viro Excellentissimo & Consultissimo Dn. Andrea  
Meurero, J. U. D. & Practico celeberrimo, Nunc denique  
inter Candidatos nomen ap. ordinem Juridicum nostrum,  
professus & admissus ad tentamen ita se juris scientem exhi-  
buit ut ad reliqua specimina quo minus admitteretur, causa  
nihil fuerit. Cras igitur hora X. legem, quam dixi, explicatu-  
rus solenniter est & publicè. Cui Panegyri ut interesse di-  
gnerentur eminenter-Magnificus Rector & reliqui Academiae  
proceres Magnifici, Reverendissimi, excellentes, Reverendi,  
Studioforum generosa & lectissima corona submissè, officio-  
sè & humaniter rogamus. P. P. Jenæ, die XIII. Decembr,  
Anno Chr. M. DC. LXIX.











us esse potest his verbis? *illa vero, quae simpli-  
modo donationem meruit, ad collationem eius mi-  
standa est, et paulo post, nec recusare collationem  
ad simplex donatio non aliter confertur, nisi huius-  
modi donator tempore donationis suae indulgentiae im-*


Sed forsitan Ludouicus non satis distincte sepa-  
rare istum casum, qui huic inest legi, quo se-  
demum conferenda est donatio simplex. Ea-  
ratio IV. donationis mortis causa, et in genere  
quae liberis a parentibus praelegata sunt. Haec  
collationis legi non subsunt, ac primo quidem le-  
g. 4. ff. de dot. collat. deinde etiam fideicommissa.  
leg. ff. de collat. bonor. l. 10. C. eod. De donatione  
in specie exstat. l. 13. C. h. t. cuius rei ratio  
videtur, quia quaesita post obitum illius de cu-  
llatione quaeritur, non conferuntur. l. 6. C. de collat.  
enim mortis effectum suum accipit, l. 35. §. 2. ff.  
causa donat. l. 1. §. 19. ff. de collat. bon.

## §. VII.

Pro deueniendum est V. ad peculia filiorum, et  
idem, in quantum ex iis conferre debeant. De  
et quasi castrensi nullum amplius restare potest du-  
um clarissimas potius legum habemus dispositio-  
nes a Collatione eximantur, in l. 12. C. de collat. l.  
eod. l. 4. et 8. C. de Aduoc. diuers. iudic. quo loco  
singulare illud, quod in l. 7. C. de bon. quae lib.

B 2

depre-



the scale towards document

C1 B1 A1 C2 B2 A2 B5 A5 A2 B5 A5 20 18 17 16 11

Patch Reference numbers on UTT

Image Engineering Scan Reference Chart: TE263 Serial No. 031